



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae Agrippinae, 1649**

De spe erigenda ad Deum, 11

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)



## C A P V T X I.

*De spe erigenda ad Deum.*

I. **E**Go autem creatura tua sub umbra alarum tuarum sperabo in bonitate tua, qua creasti me. Adjuva creaturam tuam, quam creavit benignitas tua. Non pereat in malitia mea, quod operata est bonitas tua: non pereat in miseria mea, quod fecit summa clementia tua. Quæ est enim utilitas in creatione tua, si descendam in corruptionem meam? Nunquid enim vane Deus constituit omnes filios hominum? Creasti me, Domine, rege quod creasti. Opera marum tuarum ne despicias Deus. Me fecisti de nihilo: si me non regis, Domine, iterum revertar ad nihilum. Sicut enim, Domine, non eram, & de nihilo fecisti me; sic si me non regis, adhuc ad nihilum redigar in me.

2. Adjuva me, Domine, vita mea, ne peream in malitia mea. Si non creasses me, Domine, non essem: quia creasti me, jam sum. Si non regis, jam non sum. Non enim mea merita, non mea gratia te coegerunt, ut creares me, sed benignissima bonitas tua, & clementia tua. Illa charitas tua, Domine Deus meus, quæ te ad creationem coëgit, ipsa (quæso) modo cogat te ad regendum. Quid enim prodest, quod te compulit charitas tua ad creandum, si peream in miseria mea, & non me regat dextera tua? Hæc te cogat, Domine Deus meus, clementia, ad salvandum quod creatum est, quæ te compulit



creare quod creatum non est. Ipsa te vincat charitas ad salvandum, quæ te vicit ad creandum, quia nec nunc minor est, quia ipsa charitas tu ipse es, qui semper idem es: non est abbreviata manus tua, Domine, ut salvare nequeat; neque aggravata est auris tua, ut non audiat; sed peccata mea diviserunt inter me & te, inter tenebras & lucem, inter imaginem mortis & vitam, inter vanitatem & veritatem, inter lunaticam hanc vitam meam, & sempiternam tuam.

## C A P V T XII.

*De laqueis concupiscentiarum.*

1. **H**Æ sunt umbræ tenebrarum, quibus operior in hac abyſſo caliginosi carceris hujus: in qua prostratus jaceo, donec aspiret dies & inclinentur umbræ, fiatque lux in firmamento virtutis tuæ. Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia, dicat: Fiat lux, & effugentur tenebræ: & appareat arida, germinetque terra herbam virentem, & facientem semen & fructum bonum justitiæ regni tui. Domine Pater & Deus, vita, per quam omnia vivunt, & sine qua omnia mortua computantur, ne derelinquas me in cogitatu maligno, & extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi: aufer à me concupiscentias, & animo irreverenti & infrunito ne tradas me; sed posside cor meum, ut te cogitet semper.

2. Illumina oculos meos, ut te videant, & non extollantur ante te gloria sempiterna: sed humiliter sentiant non in mirabilibus